De

A. Persii Flacci elocutione

quaestiones

scripsit

Hugo Küster.

Pars II.

Wissenschaftliche Beilage zum Programm des Königlichen Progymnasiums in Löbau Wpr.

Löbau Westpr. 1896.

M. Hoffmann's Buchdruckerei.

1896. Progr.-No. 33.

Caput III.

De adjectivis.

De adjectivorum declinatione nihil habeo, quod moneam.

Sed notanda sunt quaedam adjectiva composita, quae perraro apud alios poetas deprehenduntur, ut 1, 14 praelargus, 78 luctificabilis, 97 et 124 praegrandis. 2, 54 praetrepidus. 5, 184 recutitus. 6, 35 inodorus. 3, 80 obstipus cf. Hor. Sat. II, 5, 92.

Apud Persium tantum legitur: peronatus 5, 102.

Adjectiva deminutiva usurpavit Persius haec:

Vetulus 1, 22. rancidulus 1, 33. horridulus 1, 54. beatulus 3,103. rubellus 5, 147.

Adjectiva in „ax" exeuntia posuit haec:

Sequax Prol. 6. Mordax 1, 107. 5, 86. emax 2, 3. tenax 5, 48.

Adjectiva circumspicienti, quae frequentari videantur a Persio, tria potissimum se offerunt: tener, grandis, pinguis.

Ac primum quidem de adjectivi „tener" usu Persiano quid sit statuendum demonstrabo.

Propria quidem notio adjectivi, qua rem mollem vel facilem ad flectendum vel extendendum significat (= weichlich, zart), usurpata est a Persio his locis, sed semper per irrisionem:

1, 35: Eliquat ac tenero (= molli, fragili) subplantat verba palato.

1, 98: Quidnam igitur tenerum et laxa cervice legendum?

1, 107: Sed quid opus teneras mordaci radere vero auriculas?

3, 16: at cur non potius teneroque columbo.

3, 113: tenero latet ulcus in ore putre.

Ac nonumquam „tener" idem fere est atque „iuvenilis", ut

5, 36: Me tibi supposui: teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute sinu.

De adjectivo „grandis“ haec monenda sunt.*)

Plerumque a Persio usurpatur vulgari significatione (= gross, grossartig), ubi poterat poni „magnus“ vel „magnificus“, velut

1, 14: Scribimus inclusi numeros, ille, hic pede liber,
Grande aliquid.

1, 68: res grandes nostro dat Musa poetae.

3, 45: Grandia si nollem morituri verba Catonis
discere.

5, 7: Grande locuturi nebulas Helicone legunto.

6, 22: . . . .; hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer.

„Grandis“ idem valet quod „pinguis, crassus“ in his duobus versibus:

5, 186: Tum grandes galli et cum sistro lusca sacerdos, et

2, 42: sed grandes patinae tuccetaque crassa.

Hoc loco Jahnius recepit „pingues“, sed sequor Hermanum, qui allatis duobus similibus locis Hor Sat. II, 2, 95: grandes rhombos patinasque et Juv. 14, 171: et grandes fumabant pultibus ollae, rectissime contendit in praef. p. XIV: „magis decet poetam variare epitheta quam eodem sensu duo usurpare, nam pingues sunt crassae.“

Denique eum usum commemoro, quod „grandis“ idem est quod „solidus“ (= derb, kräftig),

3, 55: siliquis et grandi pasta polenta.

Relinquitur, ut pauca disseram de adjectivo „pinguis.“

Ac de vulgari significatione (= dick, fett) non videtur esse, quod moneatnr; legitur autem

1, 57: Pinguis aqualiculus protenso sesquipede extet.

1, 96: nonne hoc spumosum et cortice pingui.

3, 33: Sed stupet hic vitio et fibris increvit opimum
pingue = pinguedo.

---

*) Krebs, Antibarbarus der lateinischen Sprache p. 504.

3, 74: defensis pinguibus Umbris, nos vertimus: wohlgenährt.

5, 181: Dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae.

6, 77: Cappadocas rigida pingues plausisse catasta.

Interdum „pinguis" sic usurpatur, ut idem valeat quod „uber" (= ergiebig), velut

6, 14 . . . . securus et angulus ille
vicini nostro quia pinguior.

Denique significat idem quod „purus et solidus" (= lauter, gediegen) in hoc versu:

2, 52 Si tibi creterras argenti incusaque pingui
auro dona feram.

Jam quaedam afferre mihi liceat, quae de adjectivorum usu Persiano in universum observavi.

Ac passive dicta sunt a Persio haec duo adjectiva: „caecus et surdus."

4, 44: . . . . Ilia subter
caecum vulnus habes (= quod non conspicitur).

6. 28: . . . . remque omnem surdaque vota
condidit Jonio (= quae non audita sunt).

Activa vis inest in his adjectivis:

Prol 4: Heliconidasque pallidamque Pirenem
Illis remitto.

3, 115: Alges, cum excussit membris timor albus aristas.

Saepe Persius secutus morem poetarum argenteae latinitatis adjectivum usurpavit, ubi adverbium poni debuit:*)

5, 155: . . . . subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.

De adjectivo „alternus" docet Pick in dissertatione diligentissime confecta, cui inscripsit: „De vi atque usu adjectivi apud aevi Augustei poetas, Hal. Sax. 1879 p. 67: „Post aevum Augusteum qui extiterunt poetae latini, pauca

---

*) Dillenburger, Q. Horatii Flacci opera omnia. Bonnae 1881 p. 41.
A. Wagner, De Syntaxi Propertiana. Passaviae 1887 p. 22 sqq.
H. Gebbing, De C. Valerii Flacci dicendi genere quaestiones. Coblenz 1888 p. 12 sqq.
I. Sorn, Die Sprache des Satirikers Persius. Laibach 1890 p. 4.
Nägelsbach, Lateinische Stilistik für Deutsche. Nürnberg 1876. p. 234 sqq.

admodum in adjectivi praedicativi ratione novasse videntur, quemadmodum adjectivo „alternus“ adverbii munus tribuerunt Persius, Statius.“

5, 61 Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.

5, 184: Labra moves tacitus.

5, 175: Non in festuca, lictor quam iactat ineptus.

6, 75: Vende animam lucro: mercare atque excute sollers.

1, 132: Scit risisse vafer

6, 20: Tinguat holus siccum muria vafer in calice empta.

5, 21: Secreti loquimur.

5, 132: Mane piger stertis.

5, 136: Tolle recens primus piper ex sitiente camello.

Saepius neutrum adjectivi pro adverbio legitur:

1, 90 . . . . verum, nec nocte paratum plorabit.

1, 132: . . . . multum gaudere paratus.

3, 46: non sano multum laudanda magistro.

3, 110: Candida vicini subrisit molle puella.

4, 34: . . . . cubito qui tangat et arce despuat.

5, 7: Grande locuturi nebulas Helione legunto.

5, 25: Quid solidum crepet et pictae tentoria linguae.

5, 106: Ne qua subaerato mendosum tinniat auro?

5, 190: Continuo crassum ridet Pulfennius ingens.

6, 35: . . . ., seu spirent cinnama surdum.

Notandus est usus quidam singularis numeri, qui saepius apud poetas invenitur, ut adjectiva quaedam, in quibus significatio multitudinis inest, singulari numero adhibeant, ut Persius

3, 73: Disce, nec invideas, quod **multa fidelia** putet

4, 49: Si puteal **multa** cautus **vibice** flagellas.

6, 8: Dant scopuli et **multa** litus se **valle** receptat.*)

---

*) B. Erdmann, Observationes aliquot grammaticae in A. Persii Flacci satiras. Wittenberg 1866 p. 5.

Quamquam apud omnes fere scriptores adjectiva et participia non solum in pluralis, sed etiam in singularis numeri casibus, substantivorum munere fungi constat*) tamen liceat mihi paucis explanare, quid de usu Persiano monendum sit.

Saepissime adjectivum pluralis numeri generis neutrius**) pro substantivo positum est. In Persianis satiris reperiuntur haec adjectiva:

Intima 1, 21 Cedro digna 1, 42. Dictata 1, 29, Dicenda tacendaque calles 4, 5. Ubi inter curva subit 4, 12. Arcanaque lumbi 4, 35. Seria 5, 44. Haec reliqua accipio 5, 87. Carpamus dulcia 5, 151. Centum paria 6, 48,

Neutrum singularis numeri legitur his locis; 1, 1. 1. 48. 1, 64. 1, 90. 1, 121. 1, 134. 3, 17. 3, 32. 4, 11. 5, 147. 5, 154.

Minus crebro legitur adjectivum vel participium in nominativo pluralis numeri generis masculini pro substantivo, velut apud Persium:

Victuri 3, 67. Grande locuturi 5, 7. Heu steriles veri 5, 75. Ditescant orti peioribus 6, 15.

Huc referendi sunt 1, 33. 1, 123. 4, 34. 5, 124.

In casibus obliquis vel ex praepositione pendens adjectivum munere substantivi fungitur his locis:

1, 44: ex adverso. 1, 48: recti finem. 1, 105: in udo. 1, 107: mordaci vero. 2, 51: in imo. 2, 69: in sancto. 3, 33: alto demersus. 3, 83: aegroti veteris somnia. 4, 3: quo = qua re. 5, 48: tenax veri. 5, 65: miserisque canis (scl. viris). 5, 75: steriles veri. 5, 93: stultis (scl. viris). 5, 105: veri speciem. 5, 121: in stultis (scl. viris). 6, 15: peioribus (scl. viris). 6, 16: sine uncto. 6, 63: vin' tu gaudere relictis? (scl. rebus).

Substantivi ellipsin, quae dicitur, habes in his:

---

*) Draeger, Historische Syntax der lateinischen Sprache. Leipzig. 1874 I p. 36 sqq.

**) Schaefler, Die sogenannten syntaktischen Gräcismen bei den augusteiischen Dichtern, 1884 p. 29.

3, 93: lenia Surrentina. 5, 135: lubrica Coa. 5, 147: Veientanum rubellum, ubi „vinum" supplendum est.

5, 142: Aegaeum et 6, 29: Ionio, ubi „mare" omissum est, cf. Draeger I p. 49.

1, 115: genuinum (scl. dentem).

Hoc loco commemorare mihi liceat

6, 44: Insignem ob cladem Germanae pubis; cf. Iuv. 11, 94: in Oceano fluctu. Pro substantivo „Germanae" Persius adjectivum „Germanicae" ponere debuit, cf. Nägelsbach, Lateinische Stilistik, p. 202: „Die Späteren, besonders die Dichter, gehen im adjektivischen Gebrauch der Nomina propria sehr weit."

Adiectiva copiae et inopiae, peritiae et ignorantiae, studii et neglegentiae, participationis et privationis, qualitatis animi et corporis omnibus temporibus, iam a priscis scriptoribus cum genetivo coniuncta esse notum est. Eius modi exempla in Persii satiris inveniuntur haec:

2, 61: caelestium inanes! 5, 34: vitae nescius error. 5, 103: luciferi rudis. 5, 153: vive memor leti. 6, 39: nostrum hoc maris expers. 6, 12: hic ego securus vulgi cf. Krebs, Antib. p. 1056. 5, 48: tenax veri cf. Draeger I p. 444 et Krebs, Antib. p. 1132.

Pauca dicenda sunt de adjectivis „modicus" et „sterilis". Apud Persium legitur

5, 109: Es modicus voti?

Non recte igitur accurateque observavisse videtur vir doctus Krebs, Antib. p. 712, cum dicit: „Mit dem Genitiv steht modicus n u r bei Tac. Ann. 2, 73 und Vellej. 1, 12, medd: modicus virium." Noster locus Persianus etiam effugit alterum virum doctum Draeger, qui contendit*): „modicus mit dem Genetiv, öfter in den Annalen, ist nachklassisch, nur noch bei Vell. 1. 12, 4. So auch immodicus animi hist. 1, 53. ann. 15, 23.

Adjectivum „sterilis" legitur

5, 75: Heu steriles veri, quod scholiastae interpretantur „ignari veritatis."

*) Draeger, Die Annalen des Tacitus. Leipzig 1878. p. 139.

Praeterea hoc adjectivum invenitur apud Vell. I, 18, 3: quae urbes talium studiorum fuere steriles, et Tac. Hist. 1, 3: virtutum sterile saeculum. Cf. Draeger I, p. 439.

Jam accedo ad infinitivos ex adjectivis dependentes.

Atque apud priscos latinos scriptores infinitivos ex adjectivis aptos raro reperiri, postea autem praecipue a temporibus Vergilii et Horatii saepe a poetis usurpari, notum est.

Quo de usu disputaverunt accurate ac diligenter Kübler, De infinitivo apud Romanorum poetas a nominibus adjectivis apto. Berlin 1861 et Draeger, Hist. Synt. II p. 353 sqq.

Qua de causa sufficiat singula adjectiva Persiana, quibus infinitivi subiuncti sunt, in ordinem digesta exponere.

Adjectivum „paratus", quod vocabulum vel a gravissimis Latinitatis auctoribus cum infinitivo coniunctum esse constat, legitur

1, 132: Multum gaudere paratus et
6, 36: nescire paratus.

Facillime et saepissime infinitivi eis adjectivis adjunguntur, quibus aut facultas quaedam efficiendi aliquid aut voluntas indicatur, velut

Prol. 11: Negatas **artifex** sequi voces.
1, 70. 71: . . . . . nec ponere lucum
Artifex nec rus saturum laudare.
6, 3. 4: Mire **opifex** numeris veterum primordia vocum
Atque marem strepitum fidis intendisse latinae.
4, 16: Anticyras **melior** sorbere meracas!
5, 6: Ingeris, ut **par** sit centeno gutture niti?
6, 5. 6: Mox iuvenes agitare iocos et pollice honesto
Egregius lusisse senes.
6, 76. 77: . . . . nec sit **praestantior** alter
Cappadocas rigida pingues plausisse catasta.
5, 20: . . . . . dare pondus **idonea** fumo.

Similiter haec adjectiva cum infinitivo a Persio coniuncta sunt:

1, 118: **Callidus** excusso populum suspendere naso.
3, 51: Neu quis **callidior** buxum torquere flagello.

5, 15. 16: Ore teres modico, pallentes radere mores
Doctus et ingenuo culpam defigere ludo.
5, 37: . . . . tum fallere **sollers**.
6, 23. 24: Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuis **sollers** turdarum nosse salivas.
5, 100. 101: Dilius helleborum, certo conpescere puncto
Nescius examen.
5, 24: . . . . pulsa, dinoscere **cautus**:
2, 34: Expiat, urentis oculos inhibere **perita**.
1, 59: Nec manus auriculas imitari **mobiles** albas.
2, 44: Excutiat guttas laetari **praetrepidum** cor.

Atque hoc loco mihi iterum monendum esse videtur, Draeger virum doctum in libro suo summa diligentia elaborato, qui inscribitur „Historische Syntax der lateinischen Sprache“ nostri poetae parum memorem fuisse, nam exemplis, quae Draeger II p. 353 sqq. ex Persii satiris collegit, addenda sunt haec: 1, 59. 3, 51. 5, 6. 5, 15. 16. 5, 20. 5, 37. 6, 23. 24. 6, 76. 77.

Insolenter Persius gradum comparativum formavit in his:

1, 125: decoctius. 5, 130: impunitior. 6, 42: seductior. 6. 14: pinguior. 6, 68: impensius.

Ad numeralia quod attinet, nihil aliud habeo quod dicam nisi illud, Persium duobus locis, quorum Draeger I p. 90 mentionem non fecit, pro numero cardinali numerum distributivum usurpavisse:

5, 6: ut par sit centeno gutture niti?
5, 26: His ego centenas ausim deposcere voces.

In adhibendis adjectivis quanta audacia et quam mira brevitate usus sit Persius, haec exempla doceant:

1, 21: et tremulo scalpuntur ubi intima versu;

Hoc loco versus vocatur „tremulus“, quod voce tremula recitatur.

1, 33: Rancidulum quiddam balba de nare locutus.

Adjectum „balbus“ a lingua Persius transfert ad nares.

2, 5: At bona pars procerum tacita libabit acerra.

Adjectivum „tacitus“ a tacitis sacrificantium votis ad acerram, qua sacrificantes fere utuntur, translatum est. Heinrich, Des Aulus Persius Flaccus Satiren, p. 118 ad hunc versum annotat: Sehr kühn gesagt ist tacita acerra, da tacitus natürlich nur auf das Gebet geht.“

Similia sunt haec

1, 18: patranti fractus ocello. 1, 72: fumosa Palilia faeno. 1, 76: venosus liber Acci. 1, 77: verrucosa moretur Antiopa. 2, 55: auro ovato. 2, 74: incoctum (= imbutum) generoso pectus honesto. 3, 4: quinta umbra. 3, 8: vitrea bilis. 3, 52 curvos mores. 3. 81: rabiosa silentia. 3, 92 sitiente lagoena. 3, 106: hesterni Quirites. 3, 115: timor albus. 4, 16: Anticyras melior sorbere meracas! ubi adjectivum „meracus“ ab helleboro translatum est ad locum qui illam herbam abunde profert. 5, 25: pictae linguae. 5, 27: sinuoso in pectore. 5, 60: lucemque palustrem. 5, 62: nocturnis chartis. 5, 91: rugosaque sanna. 5, 165: limen ad obscoenum. 5, 177: cretata ambitio. 5, 179: aprici senes. 5, 184: reeutitaque sabbata. 6, 28: surdaque vota.

Neque silentio praetereundum mihi esse videtur, Persium in satiris suis adjectiva valde adamavisse, quae exitum habent in syllabas — **osus** et — **idus**, nam eiusmodi adjectiva inveniuntur haec:

Fumosus (bis), venosus, verrucosus, spumosus, scabiosus (bis), generosus, nodosus, damnosus, hircosus, aerumnosus, rabiosus, torosus, pannosus, sinuosns, ramosus, rugosus (bis), lapidosus, mendosus (bis,) varicosus, morosus et

Pallidus, turbidus, liquidus, calidus (ter), trepidus (bis), tepidus, callidus (ter), sordidus, candidus (ter), stolidus, praetrepidus, turgidus, tumidus, solidus, pavidus, rapidus, vapidus (bis), avidus, frigidus.

Denique breviter illud perstringere mihi liceat, quod adjectiva in — **bilis** exeuntia, duobus locis exceptis: 5, 29 enarrabilis et 5, 99 debilis, apud Persium non leguntur nisi in satira prima, ubi invenies v. 3 miserabilis, 18 et 59 mobilis, 34 plorabilis, 78 luctificabilis, 102 reparabilis.

Caput IV.

De pronominibus.

Persius quomodo pronominibus usus sit demonstraturo vix mihi videtur illud esse monendum, a Persio e more poetarum usurpata esse pronomina personalia, ubi solum verbum finitum sufficeret. Cuius rei causam quamquam ab animi affectione repetere licet, tamen non infitiandum est, poetam saepe metri vel commoditate vel necessitate adductum esse.

Quod attinet ad pronomen „ego", versus initio his locis legitur:

1, 45: Non ego. 2, 39: Ast ego. 4, 20: Dinomaches ego. 5, 26: His ego. 5, 124: Liber ego. 6, 12: Hic ego.

Aliam versus sedem obtinens legitur: 1, 121. 3, 30. 78, 6. 22. 62.

Multo saepius Persius pronomen „tu" adhibuit:

1, 22: Tun' vetule. 4, 37: Tu cum. 4, 14: Quin tu. 5, 10: Tu neque. 5, 80: Credere tu. 5, 115: Sin tu. 5, 146: Tun' mare. 5, 157: Nec tu. 6, 41: Tune bona minuas?

Legitur in alia versus sede:

1, 2. 2, 3. 21. 25. 29. 3, 94. 96. 97. 5, 36. 130. 6, 41. 43.

Pronominis reflexivi formam geminatam Persius adamavisse videtur, nam, uno loco: 6, 8 excepto, semper „sese" legitur: 1, 129. 2, 23. 4, 23. 5, 71.

Pronomen possessivum „meus" paucis absolvam.

Ac principali significatione invenitur: 1, 122: hoc ridere meum. 5, 113: haec mea sunt. 6. 41: At tu, meus heres.

In versu

5, 88: Vindicta postquam meus a praetore recessi,

pronomen „meus" nomen liberi significat atque idem est quod „mei iuris", cf. Sorn p. 5 et Heinrich p. 155.

Restat, ut afferam

6, 7: hibernatque meum mare, i. e. mare, prope quod libenter ac saepe versor, nam pronomen „meus" ad domicilium, ubicunque versamur, referendum est. Heinrich p. 164 ad hunc versum adnotat: „Meum mare, gemüthlicher Ausdruck, das Meer, an dem ich so gern lebe."

Sequitur, ut pronominis „noster" usum commemorem. Ac primum quidem pronomen „noster" genus et mores hominum illius saeculi significat, ut

1, 9: Tum, cum ad canitiem et nostrum istud vivere triste
aspexi.

1, 68: res grandes nostro dat Musa poetae.

2, 62: Quid juvat hoc, templis nostros immittere mores.

6, 39: nostrum hoc maris expers.

Huc referendi videntur hi quoque versus:

Prol. 9: docuit nostra verba conari.

5, 115: Sin tu, cum fueris nostrae paulo ante farinae.

„Noster" idem valet quod „meus" in his:

5, 22: . . . . quantaque nostrae
pars tua sit, Cornute, animae

6, 14: . . . . securus et angulus ille
vicini nostro quia pinguior.

Pro pronomine possessivo „tuus" ponitur „noster"

5, 151: nostrum est quod vivis. cf. Juv. 12, 128.

5, 178: . . . . nostra ut Floralia possint
aprici meminisse senes.

Persona, quam poeta alloquitur, et poeta ipse pronomine „noster" exprimitur

5, 47: Nostra vel aequali suspendit tempora Libra
Parca tenax veri.

Pronomen „noster" idem valet ac vox „Romanus" in

Prol 7: Ad sacra vatum carmen adfero nostrum

Cf. Quintil. X, 1, 93: satura tota nostra est, et Horat. Sat. I, 10, 66; ubi satira „Graecis intactum carmen" appellatur.

Denique eum usum commemoro, quod apud poetas saepe pronomina possessiva idem valent quod „propitius, dexter" (= günstig, geneigt), velut

5, 50: Saturnumque gravem nostro Jove frangimus una (= dextro Jove), cf. 2, 11: dextro Hercule.

Eiusmodi exempla ex aliis poetis commemorentur haec:

Horat. Epod 9, 30: ventis ituris non suis.

Ovid. Metam. 4, 373: vota suos habuere deos.

Verg. Aen. 2, 397: Vadimus immixti Danais haud numine nostro.

5, 54: strueremque suis altaria donis.

5, 832: ferunt sua flamina classem.

12, 187: Sin nostrum adnuerit nobis Victoria Martem.

Sequitur, ut ex pronominibus demonstrativis breviter commemorem pronomen „hic", quod Persius in versus initio valde adamavit, nam primo aut secundo loco legitur fere quinquagies:

1, 15. 19, 32. 79, 103. 105. 112. 120. 122. 134. 2, 1. 15. 19. 21. 37. 38. 55. 64. 65. 66. 75. 3, 27. 77. 85. 86. 103. 4, 9. 27. 30. 5, 1. 5. 17. 26. 54. 56. 57. 66. 78. 82. 87. 113. 122. 131. 155. 189. 6, 10. 12. 18. 37.

„Quisquis" pronomen, rarius a poetis usurpatum, a Persio in versus initio his locis adhibitum est:

1, 44: Quisquis es, o, modo quem ex adverso dicere feci.

3, 95: Quidquid id est: surgit tacite tibi lutea pellis.

6, 42: Quisquis eris, paulum a turba seductior audi.

6, 65: Quidquid id est, ubi sit, fuge quaerere.

Alio loco legitur 1, 52: quidquid scribitur. 2, 38: quidquid calcaverit hic. 4, 48: quidquid tibi venit.

Pronomine „quis, quid" in versus initio saepissime Persius usus est:

Prol. 8. 1, 2. 9. 12. 31. 50. 63. 99. 107. 121. 2, 18. 20. 29. 62. 3, 5. 26. 65. 67. 68. 69. 4, 8. 5, 12. 25. 90. 120. 124. 144. 149. 154. 172. 6, 26. 68.

„Quis" pro „uter" legitur 2, 20: quis potior iudex, cf. Draeger I p. 86.

Adjective dictum est pronomen „quis“:

1, 63: Quis populi sermo est? et

3, 68. 69: ordo quis datus; quis modus argento.

Pronomen „aliquis, aliquid“ novies in Persianis satiris legitur et in versus initio quidem his locis:

1, 32: Hic aliquis. 3, 8: Huc aliquis.

3, 60: Est aliquid. 3, 77: Hic aliquis.

6, 32: Frange aliquid. 6, 64: Dest aliquid.

Aliam versus sedem obtinens invenitur:

1, 14. 125. 5, 137.

Formula „si quid“ aliquoties in prima satira a Persio usurpata est; legas:

1, 5. 34. 45. 46, at 125: si forte aliquid.

In ceteris satiris haec formula non extat.

Denique notandi sunt

5, 73: Libertate opus est, non hac, ut (= qualis),
quisque Velina
Publius emeruit,

ubi Persius „quisque“ pro „quicunque“ posuit cf. Draeger I. p. 84 et

4, 28: Qui, quandoque iugum pertusa ad compita figit,

ubi „quandoque“ pro usitato „quandocunque“ positum est cf. Hor. de art. poet.

359: Indignor quandoque bonus dormitat Homerus.

Od. IV, 1, 17: Et quandoque potentior

Od. IV, 2, 34: Caesarem, quandoque trahet feroces.

De qua re videas Madvig ad Cic. de fin. exc. VI. p. 832—36, ubi ostenditur, pronomen quod est quisque, pro eo, quod est quicunque, non poni apud Ciceronem aut alios eiusdem aetatis scriptores.

Caput V.

De particulis.

In tractandis explicandisque particulis a Persio maxime amatis aptissime ordiemur ab interjectionibus.

Ac primum quidem de particula „o" quaeramus, quae a Persio ita adhibita est, ut optet aliquid poeta vel etiam precetur.

Imprecantis et optantis est

2, 9. 10: Illa sibi introrsum et sub lingua murmurat: o si ebulliat patruus, praeclarum fumus! et: o si sub rastro crepet etc. cf. Hor. Sat. II, 6, 10 sqq. Similiter 2, 22.

Eandem particulam etiam significatione hortantis usurpari exempla probant haec:

1, 61: Vos, o patricius sanguis 3, 66: Discite o miseri. 4, 3: Dic o magni pupille Pericli 6, 43: O bone, num ignoras? 1, 44: Quisquis es, o modo quem 1, 58: O Jane.

Ad exprimendum dolorem et commiserationem hac particula Persius utitur

1, 1: O curas hominum! o quantum est in rebus!, qui versus, ut ait scholiasta, depromptus est ex Lucilii carminibus.

1, 26: O mores! quod proverbii locum obtinet.

2, 61: O curvae in terris animae et caelestium inanes!

3, 15: O miser inque dies ultra miser.

Atque monendum est, interiectionem „o" raro conjungi cum vocativo, velut apud Persium 1, 58. 2, 22. 6, 43, vel cum nominativo,*), ut apud Persium:

---

*) Krebs, Antibarbarus der lateinischen Sprache p. 777 et Draeger, hist. Syntax I. p. 369.

1, 61. 2, 61. 3, 15. 66; cuius modi unum exemplum exstat apud Horatium, de art. poet. 301: O ego laevus.

Cum accusativo haec interiectio coniuncta bis in Persianis satiris legitur: 1, 1 et 26, sed uterque locus, ut supra diximus, Persii proprius non est

Jam pauca addamus de particula „heu" vel „eheu", quae bis tantum legitur apud Persium et ita quidem posita, ut dolorem exprimat:

5, 75: heu steriles veri, quibus una Quiritem vertigo facit!

5, 137: Eheu!

De particula copulativa „atque" illud monendum est „atque" ante literam vocalem, alteram formam „ac" ante consonantem maxime solere poni, quae regula a Persio aliquoties neglegitur, nam legimus:

5, 44: Atque verecunda. 6, 4: Atque marem.

Insolenter Persius particulam „atque" pro „quam" post gradum comparativum praecedentem posuit

5, 131: . . . . qui tu inpunitior exis atque hic.

Quo de usu cf. Draeger, hist. Synt. II. p. 56; Krebs, Antib. p 57; Dillenburger, Q. Horatii Flacci opera omnia p. 322.

Altera particula copulativa „que" fere nonagies a Persio usurpatur.

Atque semel „que" idem valet quod „itaque" Prol. 4.

Neque id silentio praetereundum mihi esse videtur, apud Persium formam „et — et", quam nos vertimus „sowohl — als auch", non reperiri; at persaepe formula „que — que" legitur:

1, 15: pexusque togaque. 1, 48: finemque extremumque. 2, 25: tuque domusque. 2, 73: fasque sanctosque. 3, 61: testaque lutoque. 3, 108: summosque manusque. 3, 117: dicisque facisque. 4, 35: penemque arcanaque. 5, 64: puerique senesque 5, 107: quaeque quaeque. 6, 28: remque surdaque. 6, 47: essedaque ingentesque.

Sed illud quoque monendum est, in Persii satiris has quatuor particulas „et, que, ac, atque" diversis modis inter se coniunctas inveniri; legimus

„que et“ 1, 77: Pacuviusque et verrucosa moretur. 2, 16: bis terque et noctem.

„que — et“ 2, 60: Vestalisque urnas et Tuscum fictile. 5, 34: cumque iter ambignum est et vitae.

„et — que“ 3, 25 purum et sine labe salinum . . . . cultrixque foci. 5, 39: et premitur ratione animus vincique laborat.

„et — ac“ 1, 9 10: cum ad canitiem et nostrum istud vivere triste aspexi ac nucibus facimus 1, 34 35. vatum et plorabile si quid. eliquat ac tenero.

„que ac — ac“ 5, 114: liberque ac sapiens praetoribus ac Jove dextro; cf. Draeger, hist. Synt. II. p. 77, ubi contendit: „Sehr selten ist que — ac (atque)“ et e Vergilio exempla tria affert, ex Ovidio unum, e Persio nullum.

„que atque — et“ 2, 32. 33: frontemque atque uda
uda labella infami digito et lustralibus ante salivis.

„que — que — et“ 2, 6. 7: murmurque humilesque
susurros tollere de templis et aperto vivere voto.

„et — que — que“ 3, 10. 11: et positis bicolor — inque manus chartae nodasaque venit harundo.

que — et — et“ 3, 16—18: teneroque columbo et similes . . . . . . et iratus.

At asyndeta, quae dicuntur, habes 1, 67. 2, 8. 5, 109. 135. 6, 52. 53.

Polysyndeta leguntur his locis:

1, 70. 71. . . . . ubi corbes
et focus et porci et fumosa Palilia faeno.

5, 152: cinis et manes et fabula fies.

Forma aut — aut apud Persium semel legitur 5, 8. sed idem significant „seu — seu“ 5, 3. 4 et 6, 35; „vel — vel“ 1, 3; „vel — seu“ 5, 47.

Atque „si — sive“ legimus

3, 109: . . . . Visa est si forte pecunia, sive
candida vicini subrisit molle puella.

Cf. Draeger II p. 141: „Sehr selten bei Dichtern.“

Saepius „sive“ pro „vel si“ a poetis usurpatur, ut a Persio 1, 67, cf. Draeger II p. 145.

Pro vetandi particula „neve", id quod commemoratione dignissimum est, Persius saepius negandi particulam „nec" adhibuit, velut

1, 7: nec te quaesiveris extra.
3, 73: disce, nec invideas.
5, 45: non equidem hoc dubites.
5, 157: nec tu, cum obstiteris . . . . . dicas.
6, 76: nec sit praestantior alter.

Ad vetitum exprimendum a Persio variae formae usurpatae sunt ut

1, 5: nugae, non, si quid turbida Roma
elevet, accedas
3, 96: ne sis mihi tutor.
5, 170: ne trepidare velis.
6, 65: ubi sit, fuge quaerere.
6, 66: neu dicta oppone paterna.

Particula interrogativa „an", quam jam tracturus sum, non solum in interrogatione recta, sed etiam, inprimis apud poetas et scriptores illius aetatis, quae dicitur argentea, in interrogatione obliqua pro „num" usurpata est, cuius generis exemplum in Persianis satiris non reperitur.

Sed eum huius vocabuli usum commemoro, qui apud omnes scriptores invenitur; praeponitur enim apud Persium quoque interrogationi rectae ita, ut praecedat alia interrogatio:

1, 87: hoc bellum? an, Romule, ceves?
2, 19: vis Staio? an scilicet heres?
2, 26: ignovisse putas . . . .? an quia . . . .?
3, 19: lallare recusas? an tali studeam?
3, 27: hoc satis? an deceat —?
3, 61: quo dirigis arcum? an passim sequeris —?
5, 125: tot subdite rebus? an dominum ignoras —?

Saepe vero interrogatione non praemissa usurpatur „an", ubi — ut ait Hand — a nostra sententia ad alienam sive in argumentatione a re proposita ad universam, quae contraria est, rem transgredimur, ut per eam negandam et refutan-

dam illius veritatem confirmemus et obiectionem inanem ac falsam occupemus, ut

1, 41. 42: . . . . . . Rides, ait, et nimis uncis
naribus indulges. An erit qui velle recuset
os populi meruisse?

3, 38. 39: virtutem videant intabescantque relicta.
anne magis Siculi gemuerunt aera iuvenci?
Porro 5, 83. 6, 51. 63.

Restat unus locus, ubi more poetarum „**an** — **an**“ pro „**utrum** — **an**“ dictum esse affirmaverim:

5, 163. 164: . . . . crudum Chaerestratus unguem
adrodens ait haec: an siccis dedecus obstem
cognatis? an rem patriam rumore sinistro
limen ad obscoenum frangam?

Jam supra dictum est, Persium magnopere brevitati dicendi studuisse; quamobrem mirum esse non potest, quod saepe Persius in protasi condicionalis sententiae particulam „**si**“ omisit, ut

4, 25: quaesiveris = si quaesiveris. 3, 111: positum est algente catino. 5, 77: verterit hunc dominus. 5, 84: licet ut volo vivere: non sum liberior Bruto? 5, 189: dixeris haec; cf. Horat Od. I, 3, 16. Epod. 16, 15. Sat. II, 6, 48. Epist. I, 1, 28, ubi particula condicionalis est omissa.

Imperativus quoque fungitur vice sententiae condicionalis:

2, 22: dic agedum Staio, pro Jupiter! o bone, clamet, Jupiter! 5, 119: digitum exsere, peccas. 3, 107: tange, miser, venas et pone in pectore dextram. — Nil calet hic. 4, 52: tecum habita; noris 6, 58: quaere ex me, quis mihi quartus sit pater; haud prompte, tamen dicam. 6, 26: occa, et seges altera in herba est. Ad hunc locum cf. Draeger II. p. 24: „Unklassisch ist et für tum oder jam nach einem Imperativ oder Conjunctiv, um die Folge auszudrücken; et Sorn p. 14.

E particulis tempus significantibus commemoranda est „**nunc**“, quod de praesenti tempore dicitur. Et propria particulae vis et notio temporalis tum maxime apparet,

cum aut alia contrarium indicans particula „**tunc**" antecedit aut etiam proxime sequitur.

Merum tempus igitur significatur his:
2, 35. 36. 1, 64: nunc demum. 3, 116. 5, 171. 172. 173. 174. 6, 6. 31.

Porro „**nunc**" dictum est, ubi „**iam**" sufficeret: 1, 76. 5, 21. 1, 36. 37. 38. 39.

Inprimis in formula „**iam nunc**" haec particulae significatio statuenda est, qnae bis occurrit apud Persium:

5, 110: Jam nunc astringas, iam nunc granaria laxes.

Bis (3, 23 et 6, 68) Persius „**nunc nunc**" posuit, quod idem valet atque nostrum „**flugs.**"

Insolenter a Persio coniunctio temporalis „**ubi**" cúm indicativo praesentis coniuncta his tribus locis usurpatur:

1, 31: et tremulo scalpuntur ubi intima versu.
4, 6: ergo ubi commota fervet plebecula bile.
4, 11: ubi inter curva subit.

Quo de usu disseruit Draeger II. p. 564 sqq, sed silentio praetereundum mihi non esse videtur, hunc virum doctum, Persii prorsus immemorem, e poetis perpauca exempla huc pertinentia attulisse.

Ad alteram particulam temporalem „**cum**" quod attinet, Persium leges aureae, quae dicitur latinitatis esse secutum, magno numero locorum demonstratur. Sed cum supervacaneum esse existimem, omnia illa exempla hic enumerare, id tantum monendum mihi esse videtur particulam „**cum**" notione temporali vicies ter cum indicativo, cum coniunctivo constructam novies in Persianis satiris inveniri, cf. Draeger II, p. 515 sqq. et Sorn, p. 17, quem virum doctum multi huc pertinentes loci effugerunt.

Pro usitatiore particula adversativa „**at**" Persius aliquoties formam inusitatam et antiquam „**ast**" adhibuit:

2, 39: Ast ego 5, 159: ast tamen. 6, 27: ast vocat. 6, 74: ast illi.

Vulgaris forma „**at**" legitur:

1, 28. 2, 5. 23. 68. 3, 16. 96. 105. 4, 33. 5, 62. 171. 179. 6, 41.

Idem dicendum est de vocabulo „**nihil**", quod quater tantum (1, 27. 3, 94. 5, 128. 141.) legitur; at formam antiquam et insolitam „**nil**"*) habes 1, 83: Nilne pudet. 1, 111: Nil moror. 1, 122: tam nil. 3, 84: in nihilum nil posse reverti. 3, 108: Nil calet hic. 5, 119: nil tibi.

Horatium quoque hanc formam adamasse multa exempla docent.

Jam pauca dicenda sunt de his tribus particulis concessivis: „**etsi, quamvis, licet.**"**)

Particula „**etsi**", quam antiquissimi scriptores atque optimi oratores saepenumero, rarius poetae usurpaverunt***), semel et quidem cum coniunctivo constructa legitur apud Persium.

6, 14: . . . . etsi adeo omnes
ditescant orti peioribus.

Videamus, qualis apud alios poetas Romanorum huius vocis usus fuerit.

Horatius hanc particulam numquam scripsit; apud Lucretium „**etsi**" legitur quater: 1, 117 sqq. 487. 3, 1018 5, 1156; a Catullo hoc vocabulum positum est his locis: 65, 1. 68, 135. 72, 5; apud Vergilium particulam bis legimus: Aen. 2, 583. 9, 44; in Tibulli carminibus hanc vocem invenimus: I, 9, 3; apud Lygdamum: 6, 47; Propertius „etsi" usus est bis: II, 2, 16 et III, 12, 1; hanc particulam concessivam apud Ovidium legimus: Met. 2, 322. 3, 238. 4, 317. Am. 14, 50. a. am 3, 753.

His a Tribukait p. 35 sqq. allatis locis praeter Persianum locum addendus est Juv. 12, 119: etsi non sperat tragicae furtiva piacula cervae.

Atque mirum est quod, cum omnes poetae, quos commemoravi, particulam „etsi" omnibus locis cum indicativo constructam scripserint, unicus Persius hoc vocabulum cum coniunctivo coniunxit.

---

*) Krebs, Antib. p. 752.

**) A. Tribukait, Observationes de coniunctionum apud poetas latinos usu, Regimonti 1867. p. 35 sqq.

***) Draeger, hist. Syntax II, p. 734.

Altera in enuntiationibus concessivis usitissima particula „**quamvis**", quae plerumque cum conjunctivo construitur, legitur apud Persium

2, 40: quamvis te albata rogarit (rogabit), et

5, 70: nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno.

Primo loco Persius „quamvis" cum indicativo coniunxit, cuius generis exempla saepe apud poetas inveniuntur, cf. Draeger II. p. 740, ubi ex Horatio haec affert: Od. I, 28, 11. III, 7, 25. 10, 13, Sat. I. 3, 129. II, 2, 29. 5, 15. Epist. I, 14, 6. Addenda sunt haec: Epist I, 17, 1. 22. 18, 59. II, 2, 168. de art. poet. 355. 366.

Altero loco (5, 70) coniunctione „quamvis" concessio fit sine verbo finito; eiusmodi locos apud omnes poetas invenias.

Non recte igitur hunc locum intellexisse et vertisse videtur vir doctus Sorn, cum in libello suo „Die Sprache des Satirikers Persius" p. 17 contendit: „Die Modalsätze bieten nichts Eigenes; in den Concessivsätzen folgt nach quamvis der Indicativ:

5, 70: quamvis temone sub uno frustra . . . . . . sectabere;" nam particulae „quamvis" verbum „sectabere" non subiciendum est, sed absolute dictum est; totus locus vertendus est sic: „Denn vergebens wirst du nach dem, wenn auch noch so nahe bei dir, wenn auch an einer Deichsel sich drehenden Rade haschen, da du als hinteres Rad läufst und an der zweiten Achse."

In eadem pagina (17) iterum errat vehementer vir doctus Sorn, cum praemissis his verbis: „Die Partikel cum leitet Temporalsätze ein etc. Persius hat den Indicativ", haec exempla affert: cum Herodis venere dies 5, 180; cum scribo 1, 45; cum palles 1, 124. At in hoc versu:

Iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,

vocabulum „cum" non est coniunctio, sed praepositio et eleganter positum est pro coniunctione „et" = iratum Eupolidem et praegrandem senem palles.

Tertia vox „**licet**" coniunctionis concessivae vice fungens reperitur semel apud Persium

4, 39: quinque palaestritae licet haec plantaria vellant.

Vergilius „licet" ter in concessione posuit:

Aen. 6, 802. 11, 348. 440. Frequentior fit usus apud Horatium, Tibullum, Propertium, Ovidium; cf. Tribukait p. 37 et Dillenburger p. 323.

Non moris est, ut vocabulum „etenim" postponatur, cf. Krebs, Antib. p. 423: „Etenim steht in der Regel nur voran und wird nicht eingeschoben." Draeger, hist. Synt. II. p. 168 de huius vocis usu adnotat: „In postpositiver Stellung hat es Horaz zuerst: Od. IV, 5, 17. Sat. II, 5, 69. Plin. h. n. 17 § 193. Dann nur noch Apul. apol. c. 31 und in den Digesten". Virum doctissimum effugerunt hi tres loci Persiani:

3, 48: Jure etenim id summum.
4, 10: Scis etenim iustum.
5, 41: Tecum etenim longos.

Aliae quoque coniunctiones a Persio nonnullis enuntiati verbis postponuntur: cum 1, 17; quod 1, 129; ut 2, 15; dum 3, 4; sed 3, 13; licet 4, 39; postquam 5, 88; quia 6, 13; et 6, 12. 1, 34.

Sed verbo, quod ex coniunctione suspensum est, hanc postponere ne omnibus poetis quidem placuit. In Persianis satiris duos locos invenimus, quibus coniunctio verbo ex ea suspenso postposita est:

1, 21: et tremulo scalpuntur **ubi** intima versu. et
1, 88: cantet **si** naufragus.

Denique commemorandus est frequentissimus usus interiectionum in Persii satiris, qua re brevitas dicendi magnopere augeatur; inveniuntur hae:

en 1, 26. 3, 5. 5, 134. 154. ecce 1, 30. 69. 2, 31. 5, 68. euge 1, 49. 75. 111. 5, 167. a (h) 1, 8. ohe 1, 23. heus 2, 17 et 3, 94. heu 5, 75. eheu 5, 137. pro (h) 2, 22. papae 5, 79. heia 5, 132. vae 6, 50.